



DISPUTATIO V.

Centuriae tertiae

QVÆSTIONVM
ILLVSTRIVM

PHILOSOPHI-
CARVM

In Inclytâ VVitebergensi Academia
Proposita:

PRAESIDE

M. IACOBO MARTINI
LOGICES PROFESS.

Publ.

RESPONDENTE

MARCO MATTHÆO
VVitebergensi.

Ad 17. Octobr. hor. à 6. matutini in Auditorio Col-
legii veteris.

VVITTEBERGAE

Excudebat Iohann. Schmidt, Sumptibus
Pauli Hellvvigii Bibliop. Anno 1607.





Reverendo, Clarissimo, & Excellentissimo Viro

Dn. BALTHASARI MOLLERO SS.
Theologiae D. & Superattendenti Alden-
burgi & vicinarum Ecclesiarum vigilan-
tissimo.

NEC NON

Amplissimo, Consultissimoq; Viro

Dn. IOANNI PAULI Consuli Reipubl.
VVitebergensis dignissimo, pro patri suo
patris loco suspiciendo.

ITEM

Reverendis, Humanissimis, Doctissimisq; Viris

Dn. M. IACOBO FVRMANNŌ Prae-
posito Ecclesiae Klödenſis.

Dn. THOBIAE MATTHAEO Pastori
in Schönevvaldt.

Dn. M. IOANNI TINTZSCHIO Pa-
stori in Mörtz.

Domestis, Fratri, Affini & Fautoribus singularibus.

Hanc ingenioſi ſui ſaturam.

D. D.

MARCVS D. IOH. F. Matthaeus

R. & A.

QVÆSTIO I.

An propterea quod in definitione syllogismi dicatur: Conclusionem ex præmissis necessario sequi: nulli dentur syllogismi contingentes?



Aristoteles † vir ille immense subtilitatis, ut loquitur Plinius, syllogismum definit: 1. Prior. cap. 1. §. 9. quod sit λόγος ἐν ᾧ τε δὲν τῶν τινῶν ἐτερόν τι τῶν κεμένων ἐξ ἀνάγκης συμβαίνει τῷ τᾶντα εἶναι. Hanc definitionem nonnulli fugillant, & eā stante, nullum dari syllogismum contingentem clamitant. Talem enim objectionem ab ipsis informari audimus: Si ἐτερόν τι sive Conclusio συμβαίνει ἐξ ἀνάγκης, non accidit contingenter; Et sic nulli dabuntur syllogismi contingentes. Sed verum prius. Ergo & posterius.

Sed † nā hi homines nimis maturè triumphum canunt, quibus optimo jure Tritum illud, Qui malè distinguit, malè docet, objicere possumus. Proinde cum bene distinguere, sit etiam benè docere, & ἡσὺς ὅτι ἐν οὐδὲν ἄτι, Aristot. lib. 3. de an. cap. 6. cont. 22. distinguamus distinguenda & patebit futilitas argumenti objecti. In initio autem luculentum dandum esse discrimen, inter syllogismum materialiter consideratum, constantem tribus propositionibus, majore: minore & conclusione, & formaliter spectatum, quatenus sumitur pro ipsa collectione, dispositione seu bonā consequentiā, index est ratio. Ex hac distinctione emergit & resultat discrepantia necessitatis: dum alia sit necessitas materiae, syllogismum materiale insequens, A Scholasticis consequentis dicta; alia necessitas Formae, syllogismi formalis individuus comes, alias consequentiæ nuncupata. Quæ duæ species necessitatis minime sunt confundendæ, quippe cum non observata crassi sæpissimè erroris causa sint.

Quibus † sic expeditis, quaritur jam, quanam necessitas hic in 3^a definitione syllogismi intelligatur: Consequentis, an consequentiæ.

A 2

Nos

Nos per omnia de posteriori hoc loco sermonem esse statuimus, adducti
 & moti hac ipsa definitione syllogismo formali solummodo competente,
 quaque non circa ipsas propositiones, sed positum potius & dispositio-
 nem propositionum occupata est, idque colligimus ex verbis his τὸ ἐ-
 τὼν τινῶν, & τῷ ἔντα εἶναι, quae certè ad materiam syllogismi accom-
 modari nulla ratione possunt. Imò ut dicemus quod res est, non des-
 buit Aristoteles hanc vice de syllogismo materiali agere, quia solum de
 instrumento ad materiam accommodando differit: si de instrumento
 applicando: Ergo non de applicato: Ergo materia illa syllogismo pla-
 ne est accidentalis. Ex accidente autem nihil est definiendum. Defi-
 nitio enim debet exprimere essentiam rei ut est per se Aristot. 2. post.
 §. 44. non ut sit ex accidente. Instrumentum enim est & manet ins-
 trumentum, etiam si nunquam ad res applicetur. Sic malleus non
 mutat suam essentiam, licet nunquam eo vel aurum, vel argentum,
 vel ferrum, &c. tractetur. Pugnante praeterea pro Aristotele Exem-
 pla, quae habet, Alphabetaria nempe illis docet sibi tantum de nuda
 forma, & nudo syllogismo ab omni materia abstracto agere esse propo-
 situm, quod ipsum inspicienti textum Aristotelis manifestius appa-
 rebit.

4. Sententiam † hanc amplectuntur Reg. lib. 4. sui comm. prob.
 4. pag. 143. Crellius lib. 2. part. comm. cap. 2 pag. 145. edit. 7.
 Hippius problem. 31. log. Quam & nos omnibus modis veritati
 consonam & cum scopo Aristotelis congruentem reinmemus, retentam
 defendimus, & ita argumentamur: Si conclusio sequitur in syllogismo
 δὲ τῶν κειμένων ut habet Aristotel. 1. Top. 1. & τῷ ἔντα εἶναι 1.
 Prior. 1. tantum necessitate consequentiae, hoc est, ut explicat Regius
 loc. citat. propter dependentiam illam seu habitudinem, quam conclu-
 sio ad suas praemissas habet, id evenire certum est. Sed verum primum
 E. & secundum. Connexio majoris sole meridiano clarior est: si enim
 conclusio οὐκ ἔστιν propter dispositionem, & verò dispositio respicit
 formam syllogismi, quis nisi per sebrim somnians, hic consequentis ne-
 cessitatem indicari affirmabit?

5. Hinc † ergo planum est, quid responderi debeat ad objectionem
 supra allatam. Laborat enim vitio παρὰ τὸ πᾶσι ἀπλῶς. Quis enim
 nisi plane stupidus, hanc propositionem, quam occultant. Quicquid
 sequitur ex necessitate necessarium est, simpliciter concedet, nisi
 corrigatur, & per necessitatem, consequentiae necessitas innuatur?
 Haec

Hac enim τῆς διόδου vel τῆς ἀποδείξεως, expositis, hac est, conclusio sequitur propter posita ut nullo termino extrinsecus assumpto ad inferendam necessitatem indigeat. Et hoc est quod Zabarella lib. 2. post. Anal. cap. 14. ad cont. 100. pag. 1259. ait: Syllogismi finis est necessaria collectio ex positis propositionibus.

QVÆSTIO II.

An definitio Syllogismi Aristotelica sit latior suo definito?

Siccine t̄ ergò lis omnis composita? Siccine definitio hac Aristotelica ab omni sugillatione & cavillatione vindicata? Vix credo. Respice modo ad alteram partem, & Ecce alium tibi paratum vides hostem, hostem illum acerrimum Philosophiæ Aristotelicæ Ramum huicq; suppetias ferentem Talæum (qui in sui juravit verba Magistri) quibus quoque hac definitio nauseam parat & tædio est. Hanc debellare conantur. Talem enim hastam erigunt, eamque ita argumentantes petere solent: Definitio latior suo definito est vitiosa. Hæc talis. E. Minorem probant ita: quia etiam competit omnibus illis orationibus, in quibus duæ propositiones ponuntur, & tertia ex illis colligitur, ut 1. Georg.

———— Gelidus canis cum montibus humor
Linqvitur, & Zephyro putris se gleba resolvit,
De presso incipiat jam tum mihi taurus aratro
Ingemere, &c.

In quibus versiculis ultimus necessariò sequitur propter priores positos.
Hippius prob. 31. log.

Sed t̄ hastâ satis infirmâ, clipeo ligneo, argumento ficulneo pugnant, quæ facile frangi, absque labore debellari, sine molestia solvi potest. Hic enim, ut reor opportunè memoria est repetendum, quod priorè questione eidem insigi voluimus: Distinctio nempe τῆς ἀναγκῆς, in consequentis seu materiæ & consequentiæ seu formæ necessitatem: quâ observatâ facilimè hoc argumentum prosternimus. Hoc tamen prius notatum velim per Posita hoc loco non intelligi qualibet posita; sed in certa figura & modo posita, Reg. lib. 4. prob. 4.

4;

Edifferant



Differant ergo & probent in allato exemplo ultimam versum
 sequi necessitate consequentia, seu propter posita nullo habito respectu
 ad materiam: Iam monstrant nobis certam dispositionem in certa
 quadam figura, & obtinebunt, quod volunt. Sed cum his omnibus
 destituatur illud Virgilianum non poterit gaudere hac definitione.
 Committitur igitur ignoratio Elenchi. Adde & hoc, quod in ejusmo-
 di illationibus non unica & simplex, sed varia & multiplex sit conclu-
 sio, ut in illo 1. Aeneid. Venti incubuere mari crebris micat ignibus
 aether: non tantum sequitur. Ergo fuerunt Tempestates, sed & haec:
 Ergo mare commotum, naues disperse, fluctibus concussa sunt, &c.
 Quae omnia in Syllogismo verè ita dicto, evenire non possunt nec de-
 bent. Patet ergo Responsio ad objectum Argumentum.

3. His sic constitutis ita argumentamur: Definitio quae soli & omni
 syllogismo competit illa est bona. Haec est talis. Ergo. Hipp. loco
 citato. minor non indiget probatione, quia in solo syllogismo conclusio
 sequitur propter praemissas, non vero in aliis quibuscunque erationi-
 bus, quae necessariam consecutionem non dispositionis sed materia dis-
 posita necessitate habent, ut: Sol ortus est, E. dies est. Necessitas
 autem formae unice ex legitima & concinna trium terminorum disposi-
 tione dependet, ita ut licet materia falsa sit, tamen huius dispositionis
 beneficio conclusio sequatur, ut in hoc syllogismo: Omne animal est
 lapis. Omnis terra est animal. Ergo Omnis terra est lapis: ubi & ma-
 teria simpliciter falsa est, & aliam conclusionem inferre nequeo, quam
 quae ex praemissa legitime ita dispositis per se sequitur.

QVÆSTIO III.

An corruptibile & incorruptibile differant genere?

1. Το φθαρτόν ἢ τὸ ἀφθαρτόν ἑτερόν ἐστι τὸ γένος, inquit Philoso-
 phus 10. Metaph. cap. 10. Sed sicut alias ita & hic reperiuntur, qui
 Aristotelicum hoc effatum alicujus absurditatis insinuare student,
 ita argumentantes: I. Caelum & inferiora non differunt genere: Caelum
 & inferiora sunt incorruptibile & corruptibilia. E. non omne cor-
 ruptibile & incorruptibile differunt genere. Minorè negas? Nonne & cæ-
 lum & inferiora sunt substantia. E. in hoc genere substantia conveniunt.
 Species

Species n. ejusdē generis non differunt genere. Zab. com. in l. 2. post. Anal. cap. 12. ad §. 82. II. Contraria sub eodem sunt genere Arist. l. categor. cap. 11. Scalig. exer. 18. Tolet. comm. log. in cap. 5. de subst. Atqui corruptibile & incorruptibile sunt contraria. Ergo etiam de eodem participant genere. Minor probatur: quia quacunque se habent ut potentia & impotentia, illa sunt contraria; ratio est, Quia potentia & impotentia opponuntur privative, privatio autem vulgo nominatur principium contrarietatis. Atqui corruptibile & incorruptibile habent se tanquam potentia & impotentia. Ergo. Verfor lib. 10. metaph. quæst. 10. Atque hisce moveri se dicitant, quominus Philosopho consensum præbeant.

Sed ut melius pateat sententia Aristotelis, diluamus hoc tedium aliqua observationum amœnitate, ut cum Scalig. exerc. 37. sect. 2. loquamur. I. Igitur observandum est duplex dari genus, Physicum & Logicum. Zab. lib. 2. de mat. prim. cap. 18. In genere logico conveniunt, quæ de una communi ratione seu conceptu participant: In Physico conveniunt, quæ una eademque materiâ gaudent, Zab. ibid. De secundo hoc loco queritur. II. Sciendum est duplicia dari contraria, quædam in forma, quædam in materia sibi contrariantur. Priora specie differunt, posteriora genere, sed Physico.

Patet E. hinc, quod ea, quæ in naturâ quadam conveniunt, genere logico conveniant, quæ vero in materia discrepant, genere physico diversa sint, Vi cælum & sublunaria differre dicuntur genere Physico, quia materiam diversam habent, alias enim in se invicem transmutarentur: $\mu\acute{\iota}\alpha \gamma\acute{\alpha}\rho \eta \pi\acute{\alpha}\nu\tau\omega\nu \upsilon\lambda\alpha\sigma\tau\acute{\omega}\nu \epsilon\chi\acute{\omicron}\nu\tau\omega\nu \epsilon\iota\varsigma \alpha\delta\delta\acute{\iota}\lambda\omicron\alpha \mu\epsilon\tau\alpha\beta\omicron\lambda\eta\nu$, Arist. l. 1. de ort. cap. 1. §. 1. c. 6. §. 43. & cap. 10. §. 87. Quacunque itaque in se invicem non transmutantur, materia differunt. Cælum & inferiora in se invicem non transmutantur. Ergo materia differunt. Ulterius: Quæ materiam habent diversam genere physico differunt. Cælum & sublunaria habent diversam materiam. Ergo genere Physico differunt. Minor patet: quia si esset eadem, tum cælum potentiam haberet ad suscipiendas formas elementorum, & sic non esset per materiam corruptibile, cum omne habens materiam primam sit incorruptibile Arist. 2. de gen. & corr. §. 5. Et verò cælum incorruptibile habeatur. Conclusum itaque esto: Corruptibile & incorruptibile differre genere Physico, ita tamen ut etiam in communi ratione generis logici, scilicet substantia conveniant.
Veritate

4. Veritate & ita declarata, ac demonstrati omnia adversantia
 argumenta facile solvuntur Zabarell. libr. 2. de mat. pr. cap. 19.
 I. Enim jam solutum est, libenter enim concedimus totum argumen-
 tum de genere logico intellectum, Cum hoc loco tantum quaratur de
 genere Physico, illi vero opponant de genere logico, idem est ac si lo-
 quamur de capis, illi de allis. Committunt igitur ignorationem E-
 lenchi. Ad II. Respond. 1. corruptibile & incorruptibile opponun-
 tur quidem contrariè sed non contrarietate propriè sic dicta, cujus hæc
 conditio est, quam pulcherrimè notavit apud Platonem, Socrates in
 Phadone, dicens, contraria esse modo quodam inter se conjuncta extre-
 mitatibus, ita ut desinente uno incipiat alterum. Zabarel. lib. 1. de
 mater. pr. cap. 7. sed tantum secundum communem rationem contra-
 rietatis; quæ est inter privationem & habitum. Quod vero habitus
 & privatio non verè contraria sint, patet ex Zabarel. lib. 1. de mat.
 prim. cap. 2. dum inter privationem & habitum non contrarieta-
 tem sed oppositionem solum esse docet. 2. Duplex datur Privatio.
 Perer. lib. 5. Phil. natur. cap. 23. Propriè & communiter ita dicta:
 communiter accipitur pro carentia unius formæ, quæ adsuit vel adesse
 debuit. Propriè pro carentia formæ in subjecto cum aptitudine materia
 ad eam recipiendam. Aristot. lib. 5. metaph. ca. 22. §. 27. & lib. 10.
 cap. 7. §. 51. Perer. loco citato. Priori modo corruptibile & incor-
 ruptibile opponuntur privati ve, posteriori non item, quia non apte
 nata sunt, esse in subjecto existente in potentia ad utrumque.

QVÆSTIO IV.

An in una scientia considerari possint re-
 rum omnium principia?

1. Primi & Philosophi, inquit Scaliger. exerc. 321. interest judis-
 cium & constitutum scientiarum omnium, tum etiam principio-
 rum, quæ omnia solus probat. Haud alia est à Scaligeri hæc Aristo-
 telis sententia lib. 1. post. Analyt. cap. 7. §. 23. dicentis, Principia
 inferioris scientiæ, ad alia quæ aliquantò latius patent, pertinere.
 Quid ergo cunctamur, cur non statim concludimus? Quæ disciplina
 occupata est in contemplatione cujuscunque Entis, ea etiam circa ejus-
 dem

deum entis principia versabitur. Sed talis est Metaphysica. 2. Imo
possimus & ulterius querere: si non danda est una aliqua scientia sed
plures quarum officium & munus sit considerare altissimas causas &
maximè Universales, & prima principia rerum, quanam illa sint?

Sed † ut hac in parte prospere agamus, non simpliciter putamus
concedendum esse, omnia omnino principia à Metaphysico demonstrari,
non enim ignoramus, & Physicæ esse probare sua quædam principia
propria, ut sunt Natura est Principium motus & quietis, Motus est
Actus Entis in Potentiâ, ut Potentia, & similia, quæ à Metaphysico
non demonstrantur. Si enim hæc demonstrarentur à Metaphysico, tum
Physica esset subalternata Metaphysicæ quod est contra communem
Philosophorum consensum. Proinde monet Per. 1. 1. Philos. nat. c. 15.
quando Metaphysica indigitatur scientia divina, mater & domina o-
mnium aliarum scientiarum, quæ prima principia rerum contem-
pletur, & à quibus principia aliarum scientiarum pendeant, Zab. com.
in lib. 1. post. cap. 7. id non ita esse intelligendum, quasi proprio &
perfecto demonstrationis genere principia omnium scientiarum de-
monstret, sed eo tantùm quod sumitur ex rebus communibus, vel quod
ducit ad impossibile.

Idcirco † dicimus cum Verfore lib. 11. metaph. quæstion. 1. 3.
Unius quidem scientiæ esse considerare principia rerum, in quantum
reducuntur ad aliquod genus Unum. Sic Metaphysica considerat prin-
cipia non simpliciter, sed ut habent respectum ad Ens subiectum Me-
taphysicæ, quod ipsa sola considerat. Vnde dicit Scaliger. exerc. 1.
sect. 3. Sola Metaphysica exercet sese in contemplatione cujuscunque
Entis, quatenus Ens est, Et Philosophus nominat eam ἐπιστήμη
τῶν ὄντων ἢ ὄν καθόλου 10. metaph. cap. 3. Non autem Entia conside-
rat concreta sed abstracta. Hinc dicit Velcurio lib. 1. c. 1. comm. in
Phys. Metaphysica contemplatur substantias corporeas & incorporeas,
prout sunt revera per se, & Essentiam habent & formam suam motus
& mutationi jam non obnoxiam, sed à materia remotam & puram.
Nullam autem particularium scientiarum versari circa Ens ut Ens,
extra controversiam est: Vnde vulgo dicitur: Metaphysicam occupa-
tam esse in contemplatione ἀπλῶς ὄντων Physicam ἐν προσεῖστος ὄν-
των, Mathematicam ἐξ ἀφαιρέσεως ὄντων, Ex quibus liquet nullam
harum posteriorum considerare Ens simpliciter, sed quamlibet ad certam
speciem contractum.

B

QVÆ.



QVÆSTIO V.

Quomodo motus in Quantitate à terminis in quos tendunt speciem accipiant?

1. Omnem ¶ motum habere duos terminos, *A Quo & Ad Quem*, docet Philosophus 5. phys. cap. 1. §. 7. inquiring: *ἅμα μεταβολῆ ἐστὶν ἐκ τινὸς ἐλθῆναι*: *A quo autem termino species sortiantur docet idem Philosophus cap. 4. ejusdem §. 31. & 35. à Termino nempe ad Quem, Rationem addit Pererius, quia motus re idem est cum termino ad Quem. lib. 13. phil. natur. cap. 9. quæst. 8.*

2. Hac ¶ ita in genere de motu dicuntur, nos relicta motus hac generica consideratione, digredimur ad species ejusdem, & quidem illas, quæ in quantitate sunt. *Augmentationem videlicet, quæ est affectus proprius Quantitatis, quatenus Quantitas est; Scal. exerc. 101. sect. 15. & Diminutionem.*

3. Sunt ¶ nonnulli qui hasce duas species veras & positivas esse autument: & Hanc quidem sumere speciem à Quantitate, prout molem corporis contractiorim; reddit illam, quatenus ampliorem facit. *Dd. Conim. lib. 5. cap. 4. q. 2. art. 1. De accretione non multum laborantes. Decretionem positivum quid esse negamus.*

4. Affirmanti ¶ sententiæ favere videtur *Arist. lib. 7. phys. cap. 2. §. 10. Vbi diminutionem inter motus positivos recenset. Sed nos per omnia negativam cum Dd. Con. & Fonse. lib. 5. metaph. cap. 13. q. 9. sect. 4. tuentes dicimus, nec Decretionem Quantitatis, nec remissionem Qualitatis (conjungamus hac duo) motus esse acquisitivos formæ seu positivos, sed potius corruptivos & abjectivos, idque ita probamus: Si accretio Essentialiter est acquisitio Quantitatis & intensio Qualitatis: tum diminutio & remissio essentialiter erunt abjectiones, corruptiones & negationes. Contrariorum enim contraria est ratio. Sed verum primum. Ergo & secundum. Negatio namq. non ponit rem: est enim pura absentia. *Zabarell. lib. 1. de mat. pr. cap. 7. Ergo si decretio & remissio sunt negationes, nihil per eas acquiritur: per motum autem positivum semper aliquid reale comparatur. In sumum proinde abi. exceptio D. Thomæ in 1. dist. 17. q. ult. art. 2. ad 2. & in prima secundæ q. 52. art. 2. & in 22. q. 24. art. 3. dicentis, non esse de ratione motus, ut semper reale quid per eum acquiritur; satisque esse eandem rem sub novo modo comparari, ut e. g. dissecto ligno ex illa portione, quæ antea erat pars, fit totum & adips-**



adipiscitur novum modum, sicque ex ente incompleto fit completum. Id ipsum enim plane extrinsecum est, & ex accidente se habet. Adde præterea, quod novus ille modus prorsus absque motu & actione ad formam remanentem terminata accidat: sic quando ex ligno dissecto fiunt duæ partes, quælibet pars accipit nomen Totius, absque ullo motu ad ipsas terminato, per solam resultantiam, ut loquitur Coll. Con. loc. cit. art. 3. quæ resultantia mutatio quædam est imperfecta nec pergit ad rationem motus, et si successive fiat.

Quod attinet † Aristotelem dicentem 7. Phys. §. 10. duos esse 50 motus κατὰ τὸ ὅσον, ἄξιόν ἐστι φθίον, negare quidem non possumus, & diminutionem inter positivos motus ibi numerari, illud tamen insciamur, Aristotelem voluisse terminum illum ad Quem positivum esse. Largimur libenter motus huius terminum à quo positivum esse, atque eius respectu positivam Diminutionem dici posse: Id vero improprie fieri intelligit is, qui non quidem oculis vulg. sed iudicio sapientum observavit, Terminum à Quo non pertinere ad essentiam motus sed extrinsecus duntaxat advenire. Aperte enim dicitur 5. Phys. §. 35. Unitatem motus sumi à termino ad Quem: quo haud obscure innuitur Terminum à quo minimè esse de essentia motus sed duntaxat ut connotatum quid ad illum spectare.

QVÆSTIO VI.

Quomodo motus in Qualitate à terminis ad quos tendunt, speciem sortiuntur?

Hactenus † de motibus in Quantitate, nunc de motibus in Qualitate. Initio autem non multum litigabimus, tot dari motus specie distinctos, quot dantur species Qualitatum, motu acquirendarum. Hoc siquidem sua luce læcens comprobatur Aristot. 5. Phys. cap. 4. Sed tantum querimus, uti questionem informant Dd. Con. lib. 5. phys. cap. 4. q. 3. art. 1. Num varietas Qualitatis media specie distincta, specificam distinctionem alterationis arguat, hoc est, num illa alteratio, quæ fit per viridem colorem ad nigrum, & ea quæ per cæruleum ad nigrum sit specie eadem, An vero sint motus specie diversi.

Quamquam † inveniantur, qui existiment, nullam plane habendam esse rationem media Qualitatis, sed extremorum duntaxat: Nobis tamen magis arridet opinio Avicennæ, Alberti Magni, Burlei, Averrois lib. 10. metaph. comm. 23. & aliorum, alterationem illam per media diversa factam esse motus specie diversos. Cui sen-

tentia quoque subscribunt Dd. Con. d. l. art. 2. eamque etiam pro-
 bamus. Sumamus colorem aliquem medium (qui sit unum quid per
 se) scorsim spectatum, quæro acquisitio istius coloris, an non pertineat
 ad aliquam motus speciem distinctam ab iis, quibus comparantur extre-
 mi colores? si negas & inquis tantum ad speciem extremorum referen-
 dam esse. pergo quærendo an pertineat ad speciem utriusq; extremi, an v.
 alterius tantum? non poteris dicere quod pertineat ad speciem utriusq;
 extremi, quia hac ratione non esset unum per se, sed bicipitis natu-
 ra, quod & adversariis absurdum. Neque ad alterius tantum,
 quia æqualiter se habet ad utrumq;. Ergo necesse est ut concedas com-
 parationem illam medi coloris esse diversam ab acquisitione extremi.
 Quod patet inde, quia licet nunquam illam extremi coloris acquisitio
 consequatur, tamen speciem suam propriam obtinet. Ex quib. colligo fu-
 isse motum alium specie distinctum. Vt si acquisitio coloris viridis
 & carulei sunt motus specie diversi. E. & ipsa acquisitio extremi quæ
 fit per viride & caruleum erit specie diversa. Sed verum prius. E.

Sed duo & huic nostræ sententiæ opponuntur: 1. Arist. lib. 5.
 3. phys. c. 4. §. 31. inquit: πᾶσα μέλανος αὐτῆ κατὰ τὸ εἶδος ἔστι.
 E. media non poterunt obstare identitati specificæ extremorum. 2. mo-
 tus lapidis projecti à concavo Luna usq; ad terram non fit alius etiam si
 per diversa loca seu media vergat. E. neque extrema, cum hic par sit
 ratio, licet per diversa media acquirantur, à mediis diversis diversa
 erunt.

Ad 1. Respond. dupliciter nigresactionem capi posse: 1. strictè:
 4. Quomodo corpus quoddam nigrescere non dicitur, dum medio tingitur
 colore, et si eo acquisito ad acquirendam nigredinem porro moveatur:
 sed cum alium tantum atque alium nigredinis gradum sibi comparat.
 2. Minus strictè pro qualibet motione ad nigredinem: atque ita et-
 iam præeuntem ad colorem medium completitur motum, ad quem ex-
 tremi vel nigredinis acquisitio sequitur. Priori modo (de quo etiam in-
 telligendus Aristotelis locus) acceptæ nigresactiones omnes sunt ejus-
 dem speciei: posteriori non item. Ad II. 1. quod sit dispar ratio in
 exemplis. 2. negamus dari diversa & plura loca à concavo Luna usq;
 ad terram specie distincta, siquidem lapidis respectu unam eandemq;
 naturam obtinent. Diversum apparet in acquisitione medi & extremi
 coloris. Vide Connimbr. d. l. in fine.

QVÆSTIO VII.

An species sensiles in omni sensu sint neces-

sariz?

Su



Sensionis † materia inquit Scal. exer. 297. lect. 4. sunt objecta spe-
cies: Sed non vera materia: non enim subjecta, sed objecta: Itaq, sunt quasi
ex altera parte efficientes, faciunt enim ipsa quoque sensationem, sed non faciunt
sensum, id est, sentiendi facultatem ipsam. Quæritur autem inter Philosophos
de modo quo αἰσθητὰ seu objecta illa percipiuntur: impossibile enim est rem
ipsam per sensum recipi. Tutior est sententia dicentium, Qualitates quasdam
spiritales seu intentionales ab objecto emitti ad sensum, quas vocans species
sensiles. In medio igitur hoc relinquimus & tales species dari præsupponimus,
Id solū in præsentiarum inquirentes An in omni sensu species illa sint necessaria.

Reperiuntur † qui id ipsum negant, & saltem in visu eas necessarias esse
contendunt, reliquos vero sensus per materiales qualitates à suis objectis af-
fici statuunt. Sed quo minus horum vestigia sequamur, retardant nos & Au-
toritas Aristotelis, & Rationes.

Aristoteles † siquidem lib. 2. de An. cap. 12. §. 121. inquit: καθόλα
δὲ περὶ πάσης αἰσθησεως δὲ λαβῆν, ὅτι ἢ μὲν αἰσθησίς ἐστι τὸ δεκτικὸν
τῶν αἰσθητῶν εἰδῶν ἀνευ τῆς ὕλης. Vbi expresse dicitur sensus recipere imagi-
nes rerum non res ipsas, idque probat exemplo annuli: idem sentit Scaliger
exer. 298. lect. 14.

Rationes † sunt. 1. quia si species sensiles non reperirentur in omnibus
sensibus, maxime id fieret in tactu, qui est inertissimus, brutissimusque Scal.
d. 1. lect. 1. quiq, maxime terrestris & materia immersus est. Sed contrari-
um accidit. Probo. Illa dicuntur materialiter agere, quæ similem sed numero
aliam in patiente producunt qualitatem. E. si ex. gr. calor agit in tactum
materialiter, in eo numero aliam producat, quod oppido absurdum, quia o-
mnis sensus idem numero objectum percipere dicitur. E. non materialiter sed
spiritualiter calor vel similis Qualitas agit in tactum. Excipis, illam speciem
spiritalem non differre ab objecto materiali. E. qui unum recipit & alterum
habere dicendus est. Nego aliud enim est objectum, aliud objecti signum: species
illa spiritalis non est objectum sed solum ejus signum.

2. Nullus sensus fit in tempore. Ergo neque tactus. Fieret autem, si per
materiales qualitates à suis objectis afficeretur. Illarum namque actio est verus
motus. Omnis autem motus fit successive & in tempore. Arist. 3. phys. c. 1. §. 1.

3. Si qualitates tangibiles materialiter agerent in tactum, necesse esset,
ut Qualitatem sibi similem in eo producerent. Sed posterius hoc absurdum: re-
clamat enim experientia: non enim statim organum tactus tangentis mollia vel
dura redditur durum vel molle. Manet ergo quod spirituales tantum Qualitates
sensibus percipiuntur.

QVÆSTIO VIII.

AN VERECUNDIA SIT VIRTUS?

1. Custos + virtutum omnium, dedecus fugiens, & laudem maximam consequens est Verecundia, inquit Cicero in part. Orat. & i. offic. Sine verecundia nihil rectum esse potest, nihil honestum. Quæritur de hac: An sit virtus? Affirmativam defendit Scribonius in Eth. lib. 4. cap. 8. q. 35. Cujus rationes cum nullius sint roboris, hic refutare super sedemus: sed potius cum Philo-
pho eam virtutibus minime annumerandam esse probabimus.

2. I. Omnis + virtus est habitus. Verecundia non est habitus Scal. ex. 315. E. non est virtus. Minorem probat Philosophus lib. 4. Eth. cap. ult. quia affectus non est virtus. Verecundia est affectus E. non est virtus: minor: quia definitur φόβος τῆς ἁδοξίας, jam autem Timorem affectum esse quis ibit inficias.

II. Virtus omni convenit ætati: Verecundia non omni ætati, sed juve-
nili solum, quæ potius κατὰ πᾶθος quam κατὰ λόγον vivit, competit. Ergo non est virtus. Hinc Socrates hortabatur juvenes, ut hæc tria haberent, in animo Prudentiam, in lingua Silentium, in vultu Verecundiam. Max. ferm. 41. decet enim verecundum esse adolescentem. Plautus in Afinar. Vnde is colorum pulcerrimus videbatur Pythia Aristotelis filia, quem in ingenuis excita-
bat pudor. Stobæus ferm. d. verecund. Senes vero nemo laudaverit propter verecundiam, non enim deceit eos aliquid fecisse, cuius ipsos pœniteat, & ob quod reprehendantur. Est enim verecundia magna opinio reprehensionis, Scal. ex. 312. Nihil igitur concludit Scribonius, ita argumentans: Verecundia est laude digna. E. est virtus. Non enim per se meretur laudem, sed quia est certissimum bonæ mentis & probitatis, vel præsentis, vel futuræ indicium. Unde olim Diogenes adolescenti erubescenti & ob id perturbato dicebat: Bono animo sis fili: istiusmodi enim virtutis est tinctura. Laert.

III. Virtus tantum cadit in virum bonum. Verecundia vero etiam in malis locum habet. E. non est virtus. Hinc dicit Philosophus 2. Rhet. c. 6. Pudorem esse tristitiam & perturbationem in malis, quæ ignominiam videntur afferre, aut præsentibus, aut præteritis, aut futuris, quam certe Tristitiam etiam in malos cadere quotidie experimur. Accedit quod verecundia si ve pudor in viros bonos plane non cadat, vel cadere debeat, quia pudor nascitur ex rebus malis, quas vir bonus minime suscipit.

IV. Virtus, quia est habitus, difficilimè in animum inducitur, imo fit ab electione & certo proposito. Verecundia econtra existit sine consilio. subito, E. & c.

3. Atq; + hisce rationib. pugnat Aristoteles, quæ nobis satis faciunt Addimus tamen & hoc, pudorem dari duplicem: Vnus est, qui delictum antegreditur, & caret

ta vet, ne illud perpetretur, quem rectius verecundiam nominamus, qui pudor in omnem videtur cadere aetatem, & de hoc accipiendum est illud Platonis 5. de Rep. ubi timorem & pudorem facit custodes seniorum. Deinde dantur quoque senes aetate, juvenes tamen moribus, qui non minus, quam juvenes aetate verecundantur. Alter est ipsorum delictorum pedisequus & comes, qui in seniores vel bonos non cadit, in pueris tamen infallibile bona indolis reusque existit.

Sed † antequam hanc quaestionem concludamus, occurrit nobis locus Aristotelis. 3. Ethic. Nicom. cap. 8. Vbi Aristoteles ita loquitur: Hæc autem fortitudo simillima videtur ei, de qua supra disserui, quæ à virtute nascitur: nam à pudoris & honestatis cupiditate proficitur: quoniam honoris studio, probrique fuga, quod est turpe, comparatur. Fatetur hic Aristoteles, Fortitudinem (intellige civilem) proficisci ex pudore, quæ est virtus. Sed itane Aristotelem contradictionis argui patiemur? Minime: Respondet pro nobis Piccolomineus grad. 4. Philos. mor. cap. 32. inquit: Aristoteles verecundiam appellavit virtutem, quia est semivirtus, semen virtutis, via ad virtutem, & oritur ex desiderio honesti, & timore infamiae, qui sunt principia virtutis & calcaria ad eam, & subjicit: dici etiam potest virtus quædam naturalis, quia est consequens constitutio per naturam nobis competens.

QUESTIO IX.

Cur Aristoteles inter virtutes non numeraverit,
PIETATEM, SANCTITATEM & RELIGIONEM?

Pietatem, † Religionem & Sanctitatem arcto necessitudinis nodo ligari ostendit Cicero, dum inquit, 1. de nat. Deor. Cum pietate, Sanctitas simul & religio tollitur. Eleganter de isdem dixit Marsilius in Euthyphronem; Sanctitatem præcedit pietas, religio sequitur: est enim pietas Dei parentis cognitio: Sanctitas ejus, quod Dei est, Deo agnito, retributio: religio ejus quod Deo redditum est, assidua meditatione, junctisq; operibus cum Deo ipso indissolubilis religio.

Queritur † de his, quare ab Aristotele, in pertractatione virtutum fuerint omisæ? Causas recenset aliquot Piccolomineus grad. 4. Philosoph. mor. cap. 35. quæ & nobis sufficiant. 1. quia Aristoteles ignarus fuit futurae vitæ, ad quam consequendam omnino hisce tribus opus habemus, tum etiam minus saltem ipsi cura fuerunt ea quæ ad cognitionem Dei pertinere videbantur. E contra Plato magis ad eas accessit, quippe qui à veteribus Theologis de isdem institutus rectius & magis pie de iis sensit. 2. Quia maxime occupatus fuit in tradendis iis virtutibus, quæ societatem civilem promovere & conservare videban-


videbantur, non curans interimas, quibus cen choragis in vitam eternam
introducimus. 3. Quia catenus, quatenus virtutes sunt, ad heroicas redi-
gantur: cujus proprium est, eleuare supra homines & ad Deum extollere.
Qua proprietate tribus hisce optimè congruit. 4. Ergo quia referuntur ad
virtutes Heroicas, de iisdem agere is dicitur, qui de Heroica differit. Redigun-
tur enim ad iustitiam, cuius quasi sulmen sunt. Plura vide apud Piccolom,
loco citato.

QVÆSTIO X.


An iuvenes in numerum consiliariorum princi- pis cooptandi?

1. Nullum + majus indicium bonæ mentis ostendere posse principem, quam si
optimos ac prudentissimos sibi deligat consiliarios, alibi probatum reddidimus,
quærimus jam in specie quales nam & cujus ætatis consiliarios eligere debeat:
Numne etiam iuvenes iis annumerandi? Plerique id negare videntur, statu-
entes, eos solum qui intratrigesimum & sexagesimum annum constituti sunt, eli-
gendos esse, propterea quod tales media inter iuuenilem & extremam ætatis
sunt, ideòque temperatioribus æquabilioribusq; humoribus præditi, animum ab
affectibus tranquillum habent, rerum usu, memoria, iudicio dexteriore, vi-
ribus corporis & robore valent, vitis quoque paucioribus affecti grauitatem
conuenientem seruant: Iuvenes contra sunt molles, ætate fluxi, dolis haud dif-
ficulter capiuntur, innumeris obnoxii cupiditatibus, ira, desiderio dominandi,
ambitioni, intemperantiæ, ac vehemens illorum appetitus in utramq; partem.
Prudentia etiam carent. Hæc enim non nisi per multam rerum experientiam
comparatur. Tiraq. de jure primig. præf. n. 91. Hinc Plato solitus est dicere
tum mentis oculi perspicacius vident, cum corporis oculi deflorescunt. Idem sta-
tuit Bodinus dum lib. 3. de Repub. cap. 1 inquit: Non possunt iuvenes in
concione populi, quæ utilia sunt ac iusta persuadere: nec senibus, nec iuuenibus
probantur, alteri n. id ætatis se illis æquales, alteri sapientia superiores arbi-
trantur. Sed + ut hæc se habeant, simpliciter omnia acceptanda non sunt. Du-
plices enim iuvenes dari compertum est: alii sunt iuvenes intellectu & mori-
bus, alii ætate, ingenium tamen ad res magnas aspirans, habentes. De priori-
bus, quæ pravis affectibus resistere non valent, accipienda sunt modo dicta.
Posteriores vero consiliariis senioribus adjungendos esse non improbamus, ju-
venes enim senili prudentia, regi debent. Vide præclare Petr. Greg. lib. 24.
de Rep. 6. c. 2. Expediit omnino juxta annosas arbores plantas novas inserere,
quæ post interitum veterarum in locum earundem succedant.

Finis Disputationis Quintæ.







30

DISPUTATIO V. 000
Centuriae tertiae

**QVÆSTIONVM
ILLVSTRIVM**

PHILOSOPHI-
CARVM

In Inclytâ VVittebergensi Academia
Proposita:

PRAESIDENS
M. IACOBO MARTINI
LOGICES PROFESS.
Publ.

RESPONDENTE
MARCO MATTHÆO
VVitebergensi.

Ad 17. Octobr. hor. à 6. matutini in Auditorio Col-
legii veteris.

VVITTEBERGAE
Excudebat Iohann. Schmidt, Sumptibus
Pauli Hellvvigii Bibliop. Anno 1607.

